



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

**Parisiis, 1644**

XXII. De regulari disciplina, in victu, vestitu & moribus, in monasteriis tam religiosorum quam monialium exacte obseruanda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15644**

## XXII.

ANNO  
CHRISTI  
1527.

Fide dignorum relatio ad nostrum auditum perduxit, quantum in multis monasteriis sit a primæ institutionis puritate recessum, siquidem illorum cœnobitæ sic vitam monachalem & regularem reiecerunt, vt & moribus & nomine & habitu religiosi haberi & nominari vereantur. Quod si in præmissis gubernaculum disciplinæ contemnatur, hoc solum restare videmus, vt religio naufragetur. Rebus itaque in deteriora prolabantibus obuiam ire volentes statuimus, vt abbates, abbatissæ, priores, priorissæ, & alii religiosorum superiores, quocumque nomine censeantur, sic sua monasteria in cultu diuino, vita & moribus, vestimentis monachalibus, cibis & potibus, reforment, & suos religiosos & moniales, ad vitam regularem & monasticam, secundum institutiones suorum ordinum & alias regulares, reducant, quod in eis nihil reperiatur, quod diuinam maiestatem & simplicium animos offendere possit. In præmissis autem, per diœcesanos in suis visitationibus diligens inquisitio fiat. Et quæ repperint deformata, reforment, & omnino corrigant: quæ super prædictis facta fuerint sequenti Concilio referant. Et ne notorium illum abusum, quo nonnulli regularem apostasiam incurrendo, sine habitu regulari etiam in publicum incedere non erubescunt, sub dissimulatione pertransire videamur: statuimus, quod canonici regulares de cetero super veste exteriori togam lineam, tam intra, quam extra monasterium, ferre omnino teneantur. Nisi forte super huiusmodi toga non deferenda, priuilegium habeant: quod suis diœcesanis exhibere infra duos menses, a die publicationis computandos, habeant: Qui visò priuilegio, super alio habitu patenter distincto a vestimentis clericorum sæcularium, ordinabunt, vt expedire & iuris esse videbitur.

De toga lineam super vestem a canonicis regularibus ferenda.

## XXIII.

Omnes clericos, maxime in sacris constitutos, admonitos esse volumus: se cum in sanctorum loco sint, necessitatem bene viuendi, non licentiam peccandi esse assécutos. Idcirco eos hortamur, vt opera sanctorum exercent, luceantque coram hominibus opera eorum, sintque vere illud sal euangelicum. In ministerio vigilantes &